

**1325-1325- OFP - Acta Capitulum Generalium apud Venecias Celebrati**

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capituli generalis apud Venecias celebrati  
 anno Domini · M° · CCC° · XXV° ·

**Iste sunt inchoaciones.**

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: hoc excepto, quod eos includi sicut in electione magistri non oportet, addatur sic: quod si magister ordinis aliquem fratrem illius provincie vicarium instituerit in eadem, volumus ipsum vicarium in electione predicta habere vocem.

Item hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: quos instituendi nullus vicarius etiam cum diffinitoribus, addatur: nec diffinitores sine consensu prioris provincialis habeant potestatem; volumus autem hoc medio tempore inviolabiliter observari.

Item hanc: In capitulo de graviore culpa, ubi dicitur: si quis autem peccaverit et socio suo confiteri voluerit, deleatur totum usque ibi: si quis autem de mala familiaritate.

Item hanc: In capitulo de domibus concedendis et construendis, ubi dicitur: loco illius alius assignetur, addatur sic: ille vero conventus, qui pro illo tempore dictum duodenarium numerum non habebit, ad ea, que tractanda sunt in capitulo provinciali sive in electione provincialis, quoad priorem et socium et electores provincialis nullatenus admittatur, nisi forte illo anno per fratrum obitum dictus numerus fuerit diminutus, provinciis Ierosolymitane et Grecie dumtaxat exceptis.

Item hanc, quod provincia Ierosolymitana post provinciam Saxonie et provincia Grecie post provinciam superioris Lombardie teneat locum suum. Et hunc ordinem in constitutionibus quibuscumque, ubi provincie numerantur, volumus annotari.

Item hanc: In rubrica de concomitancia festivitatum, ubi dicitur: si festum simplex vel maius post festum duplex etc., post illud: excipitur festum beati Petri martyris et festum translacionis beati Dominici, quando aliquod eorum in vigilia ascensionis occurrerit, addatur sic: item festum translacionis beati Dominici, quando sequenti die festum de corpore Christi fuerit celebrandum.

Item. In rubrica festi de corpore Christi, ubi dicitur: si autem istud festum et nativitatis sancti Iohannis etc., post illud: nos matri ecclesie conformemus, addatur: si vero in festo sancti Barnabe vel translacionis sancti Dominici aut cuiuscumque alterius sancti ipsum festum de corpore Christi occurrerit celebrandum, quodcumque festum huiusmodi in precedentem · ivam · feriam transferatur et festum de corpore Christi celebrabitur suo die.

Item. In rubrica de credo in missa post illud: in die pentecostes et per ebdomadam cotidie ipsius, addatur: et in festo de corpore Christi.

Item. In rubrica de prefacionibus, ubi dicitur: a nativitate domini usque ad purificationem etc., post illud: et in festo purificationis, addatur: et in festo de corpore Christi.

**Iste sunt approbaciones.**

Approbamus hanc, quod de sancto Thoma de Aquino, venerabili doctore, fiat per totum ordinem septima die marci festum totum duplex et in letania immediate post beatum Dominicum nominetur, et illud officium per totum ordinem uniformiter habeatur, de quo magister ordinis providebit, cui ex nunc committimus de predicto officio providendum; et hec tam de festo quam de officio suis locis in calendario et ordinario annotentur.

**Iste sunt confirmaciones.**

Confirmamus hanc: In capitulo de studentibus, ubi dicitur: quilibet prior provincialis potestatem habeat mittendi fratres duos idoneos ad studendum, deleatur totum, quod sequitur, usque ibi: quod si aliqua dictarum provinciarum.

**Iste sunt declaraciones.**

Declaramus hanc: In capitulo de electione prioris conventualis et institutione supprioris, ubi dicitur: vota eligencium recipiantur per suppriorem vel eius vicarium in absentia supprioris, vicarius ille intelligitur, qui est vicarius in conventu, a quocumque fuerit institutus.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: prior conventualis de consilio fratrum instituat suppriorem, intelligitur, quod huiusmodi consilium debeat habere in proprio conventu et cum fratribus, qui ad suum conventum pertinere noscuntur.

Item hanc: quod in primis vespere de corpore Christi debent dici psalmi Laudate etc., sicut in aliis totis duplicibus fieri communiter consuevit, cum hoc in capitulo generali Barchinone celebrato fuerit ordinatum in diffinitorio.

**Iste sunt admoniciones et ordinaciones.**

Cum sanctissimus pater et dominus noster dominus summus pontifex ad presens generale capitulum literas direxerit graciosas, specialem curam gerens tanquam pater et promotor ordinis nostri precipuus, ipse nos ad multa salutaria et ordini necessaria dulciter exhortando, volumus et ordinamus, quod predictae litere eiusdem sanctissimi patris in singulis conventibus et provincialibus capitulis publice legantur fratribus universis; propter enim literarum papalium reverenciam et sufficienciam magister ordinis a consueta literarum missione per ordinem destitit isto anno. Districte autem imponimus, quod contenta in eisdem literis diligencius observentur et specialiter de reverencia ad prelatos, et summe cavenda eorum offensa; nec fratres dent eis materiam scandali et

turbacionis ullo modo. Si qua tamen gravamina manifesta fratribus inferantur, curent sub manu publica vel alio testimonio fide digno magistro ordinis vel procuratori intimare.

Item. Cum illi, qui habent in capitulis generalibus et provincialibus alios corrigere et regulare, debeant maturitate pollere et discrecione vigere, volumus et ordinamus, quod in capitulis provincialibus fiant diffinitores fratres maturi et etate proveci nec ad diffinitiones notabiliter iuvenes eligantur.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus mittatur ad studium generale, nisi ad lectoriam ydoneum reputetur, et nisi prius fuerit duobus annis in particulari studio theologie eruditus; nec aliquis ad studium theologie assignetur, nisi saltem duobus annis naturalia audierit, nec assignetur studio naturarum, nisi prius audierit loycalia tribus annis; nec aliquis ponatur ad legendum naturalia, nisi saltem theologiam audierit duobus annis; nec ad legendum loycalia nisi duobus annis in naturalibus studuerit cum profectu. Et districte iniungimus prioribus provincialibus et conventualibus universis, quod curam habeant de iuvenibus instruendis in religione et in cantu, et quod nullus notabiliter iuvenis mittatur ad studia arcium ante tertium annum ab ingressu.

Item. Significamus prioribus provincialibus et conventualibus ac eorum vicariis universis, quod privilegium a domino nostro summo pontifice emanavit, quod apostate ordinis nostri non possint licenciarum per quemcumque ad monachos nigros, sed solum licencia huiusmodi magistro ordinis reservatur. Adiciamus tamen et districte imponimus, cum apostate unius provincie sive fratres quicumque, qui fugiunt ordinis disciplinam, ad aliam provinciam transeant evagando, quod priores provinciales et conventuales, in quorum provinciis vel terminis fuerint, ad capiendum huiusmodi teneantur dare consilium, auxilium et favorem, quando per provinciales eorum fuerint requisiti, ne ex eorum discursu dampnoso ordo noster possit pati scandalum vel iacturam.

Item. Cum fratres plurimi graciis eis concessis notabiliter abutantur, revocamus omnes exempciones concessas per quoscumque magistros ordinis sive per priores provinciales. In ista vero revocatione non includimus magistros in theologia et bacalareos nec illos, qui fuerunt priores provinciales sive diffinitores capituli generalis. Et rogamus magistrum ordinis, quod tales exempciones faciliter non concedat, imponentes prioribus provincialibus universis, quod non sint faciles ad huiusmodi exempciones concedendas.

Item. Ordinationem factam de inquisitoribus heretice pravitatis super racione reddenda suis provincialibus et ordinationem factam de honoribus seu gradibus pro se vel pro aliis procurandis seu ab aliis auferendis cum suis privacionibus et penis volumus in suo robore permanere, sicut extitit ordinatum in proximo capitulo generali apud Burdigalam celebrato, et volumus, quod ordinacio de magistro studencium in studiis generalibus inviolabiliter observetur<sup>1</sup>. Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, ne aliquis frater, cuiuscumque condicionis vel status existat, ad Romanam curiam presumat accedere nec de suo conventu iter assumat cum intencione ad Romanam curiam accedendi sine eiusdem magistri licencia speciali. Concedit tamen magister ordinis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

Item. Volumus et ordinamus, quod quilibet provincialis teneatur mittere procuratori ordinis pro expensis, que facte sunt in curia pro bullis impetratis, et que fient in posterum, circa festum resurrectionis domini proximum venturum, secundum taxationem infra annotatam: Provincia Hispanie · x · florenos, Francie · xv · florenos, provincia Tholosana · x · florenos, provincia Lombardie inferioris · x · florenos, provincia regni Sicilie · viii · florenos, provincia Anglie · xii · florenos, provincia Theutonie · xx · florenos, provincia Ungarie · viii · florenos, provincia Lombardie superioris · v · florenos, provincia Aragonie · x · florenos, provincia Polonie · iiiii · florenos, provincia Dacie · iiiii · florenos, provincia Boemie · iiiii · florenos, provincia Saxonie · x · florenos, provincia Terre sancte · x · florenos, provincia Grecie · vi · florenos.

Letania more solito dicatur.

#### **Iste sunt absoluciones.**

Absolvimus priores provinciales Terre sancte, Ungarie, Saxonie, inferioris Lombardie.

Item priores conventuales Bononiensem, Trevisinum, sancti Dominici de Veneciis, Urbinatensem, Firmanum, Fabrianensem et Clugiensem, Tridentinum, Bolsanensem. Et volumus, quod priores absoluti non possint in eisdem provinciis et conventibus reassumi ad eadem officia isto anno.

#### **Iste sunt penitencie.**

Imponimus fratribus omnibus, qui ad presens generale capitulum venerint sine licencia speciali, · viii · dies in pane et aqua et totidem disciplinas. Et districte iniungimus fratribus universis, quod nullus quocumque pretextu vadat ad capitulum generale futurum. Qui autem sine licencia venerint, sint ipso facto voce privati; nec intendit magister ordinis per hoc, quod habent licenciam accedendi ad ipsum, quod sub pretextu talis licencie accedere valeant ad locum capituli generalis.

Item. Fratrem Heinricum priorem Ratisponensem de provincia Theuthonie, quia negligens fuerit in publicatione processuum domini pape, quos magister sibi misit, absolvimus ab officio prioratus et provincie Saxonie assignamus in penam preter alias penas eidem debite imponendas<sup>2</sup>.

Item. Studentes in theologia in conventu Argentinensi, qui hoc anno propter ordinationes honestas per priorem in conventu factas per maliciosam concordiam fuerint colligati contra priorem et utilitatem communem ordinis et

<sup>1</sup> Cf. supra pag. 153 l. 6 sqq. et pag. 154 l. 26 sq.

<sup>2</sup> Quas partes fratres nostri provincie Teutoniae secuti sint, litigantibus inter se Ioanne XXII et Ludovico Bavaro, alibi exponemus. Cf. infra. l. 25 sqq.

conventus, privamus studio isto anno et eos remittimus ad suas provincias et conventus; et denunciamus eos incidisse in constitutionem gravioris culpe, que incipit: si quis per conspiracionem etc. et rogamus magistrum ordinis, quod illos, quos minus repererit culpabiles, de dicta pena minuat, secundum quod ei videbitur expedire. Nomina autem eorum sunt hec: Frater Iohannes de Lindaugia, Hermannus de Traiecto, Iohannes de Winsberch, Fredericus de Ratispona, Henricus de Hallis, Henricus de Stella, Henricus Barsteler, Iacobus de Lozana, Willelmus de Sirch<sup>3</sup>, Iohannes Bohemus, Gerlacus de Isenaco, Iacobus de Miswaen, Iohannes de Duren, Tristanus de Egilstein<sup>4</sup>, Iohannes de Friburgo, Willelmus de Agnovia, Iohannes Wolmari, Wernherus de Surch Coradus de Ederim, Richardus magister studencium, Chuno de Kaneke<sup>5</sup>.

Damus vicarium generalem Terre sancte fratrem Anselmum de Silvano provincie Lombardie superioris, donec provincialis electus et confirmatus et presens in provincia extiterit.

Item. Cum ad nos gravis et notabilis querimonia pervenerit et rationabilis, quod fratres quidam provincie Theutonie circa processus sanctissimi patris et domini nostri pape publicandos et servandos fuerint notabiliter negligentes, cum tamen super hoc tam apostolicum quam magistri ordinis habuerint preceptum expressum, et notificatum eciam nobis fuerit fide digna relatione multorum, quod in ipsa provincia per fratres quosdam in predicacione vulgari quedam personis vulgaribus ac rudibus in sermonibus proponuntur, que possint auditores faciliter deducere in errorem, idcirco damus vicarium super istis diligentius inquirendis et censura debita puniendis ac coercendis fratrem Gervasium, priorem Andegavensem, de provincia Francie<sup>6</sup>.

Item. Damus vicarium generalem in provincia Ungarie priorem provinciam Boemie, donec prior provincialis alius sit electus et confirmatus.

Item. Ponimus vicarium in Dalmacia et Duracio fratrem Bartholomeum Regiñ, priorem conventus Regini provincie Lombardie inferioris.

Item. Cum super hiis, que gesta sunt nuper in capitulo Burdigale celebrato, magister ordinis quosdam fratres de Ybernia de provincia Anglie ad capitulum generale vocaverit, ut per eos posset de predictis verius informari, nec aliquis ex vocatis comparuerit, et sic informati sufficienter non simus, formam fratrum de Ybernia approbamus, donec de ea aliter fuerit ordinatum et priorem conventus, in quo debet hoc anno eorum capitulum celebrari, iuxta tenorem predictae forme, in tota Ybernia facimus nostrum vicarium generalem, a vicaria quemcumque alium absolventes.

Committimus autem priori provinciali et diffinitoribus capituli provincialis Anglie, quod servata predicta forma de vicariis et conventibus disponant, sicut eorum discrecioni videbitur expedire.

Concedimus unam domum provincie Lombardie superioris. Item. Aliam provincie Francie ponendam in s. Ademaro. Item. Aliam provincie Dacie. Item. Aliam provincie Anglie ponendam in Ybernia.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Petrum de Pireto de provincia Tholosana<sup>7</sup>.

Item. Pro anno sequenti, quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias Parisius fratrem Guillelmum de Castro Reginaldi de provincia Francie<sup>8</sup>. Committimus magistro ordinis ordinationes studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, quod ipse de magistris et bacalareis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis iudicaverit expedire.

Numerus missarum pro vivis ascendit usque ad · xl · missas. Numerus missarum pro defunctis usque ad · xiiii · missas ascendit. Sentencias iudicum approbamus. Sequens generale capitulum assignamus Parisius in provincia Francie et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante · viam · feriam vigiliam pentecostes immediate precedentem.

Actis additae sunt litterae Ioannis XXII; cf. BO. II p. 167 n. XLVI.

<sup>3</sup> “Sirch” “Surch” intelligas “Zurch = Turegum”.

<sup>4</sup> “Egilstein” “Edilstein” legendum esse puto.

<sup>5</sup> “Kaneke” forsitan error librarii pro “Taneke”.

<sup>6</sup> Ex documentis ad me potestate utrum magister Ekkardus in his praedicatoribus numerandas sit necne Cf. DENIFLE Archiv II. pag. 623.

<sup>7</sup> De fr. Petro de Pireto cf. DENIFLE Chartularium pag. 283, 290, 600.

<sup>8</sup> De fr. Guilelmo de Castro Reginaldi cf. DENIFLE l.c.p. 283, 292, 429